



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Religiosos non solùm aliis prodesse, verùm etiam in seipsis aliorum
fratru[m] inspectione proficere. Cap. xix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

inreparationibus reprehendere, & impios, verbis sacrae Scripturae, tamquam lapidibus fundae percute- ro: zelo autem iustitiae inebriati, & quasi phialae sacrificiorum & quasi cornua altaris sanguine, id est, sancta indignatione repleti, peccatores efficaci ser- monis terrerent, & Domino, cui rebelles extiterant, in- genti multorum admiratione subiiciunt. Ille qui- dem Elias, qui in veteri lege formam religiosorum praetulit, pro miraculo habitus est, quia impium Achab regem Israel hac liberrima oratione corri- puit. Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui reliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim.] Sed quantos similes Elias, homines pilo- sos, id est, fortes, & inuictos, religiones sanctae pro- tulerunt, qui cum nihil mundanum timeant, & nul- lum temporale emolumentum ex mundanis, aut que- rant, aut sperent, libere os aperiant, non solum, ut spiritum attrahant, sed etiam, ut quo attraxerunt spiritu, quo secum, siue nobiles, vel ignobiles, siue principes, siue subiectos, audacibus verbis repre- hendant.

1. Reg. 18.
18.

Iob. 17. 3.

Luca 10.
4.
Ambr. lib.
7. in Lu-
cam.

Richard.
in cant. c.
21.

Habent tandem vires ac nequos ad eos labores sustinendos, qui in hac quaestiosa animarum nego- tiatione passim occurrunt. Qui enim internam me- tis munditiam sunt adepti, sine labore: sed solo intel- lectu, & affectu, atque vitae similitudine, Christo iunguntur, a quo fortitudinem, & animum inui- ctum ad resistendum accipiunt. Hac enim comun- tione patiens Iob, terribilibus etiam inimicis in- sultat, dicens: Pone me, Domine, iuxta te, & cuius- vis manus pugnet contra me.] Sunt etiam rebus ter- renis, & saeculi curis exonerati, atque adeo multo facilius proximorum onera portant, quam alij; qui propriis opibus, & honoribus, ac deliciis onusti, vix isto iugo durissimo portando sufficiunt. Dominus enim Evangelij ministris praecipit; ne portarent sac- culum, neque peram, neque calceamenta; id est, (ut exponit Ambrosius) ne possiderent aurum, neque argentum, neque rerum mortalium affectibus sub- iacerent, quia his possent a ministerio sibi commisso praepediri.] Qui ergo haec impedimenta molestissi- ma abiecerunt, idonei sunt, vasa Domini, id est, proximorum animas, more Levitarum deferre, & in caeleste tabernaculum portare. Tandem assiduo rerum spiritualium usu didicerunt sibi ipsis non fi- dere, quia haec doctrina spiritus in schola propria diffidentiam perdidicert. Istos autem de se non praes- mentes propriamque vilitatem agnoscentes, con- fortat Deus, ut res magnas, & vires hominis ex- cedentes efficiant. Vnde Richardus Victorinus ait; Ita que infirmitatem suam cognoscentibus, & per hoc se humiliantibus, & in se non confidentibus, robur praebet Christus, ut carnaliter esse fortes desinant, & spiritualiter conualescant. Ita dum de se desperant, & in Christo sperant, mutant fortitudinem, & assu- munt pennas, ut aquilae, atque volant. Si ergo, o ani- ma, ad mundum muliebrem sponsae Christi, id est, ad cordis munditiam per statum religiosum peruenisti, non dubites tibi dictum esse: Vera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit.] Quoniae gemina fratris compassione adornata, & fortitudine roborata, iam apta effecta es, ut Christi paruulos nutrias, & eorum mole- stias, imbecillitatesque sustentes. Hoc autem ma- nifeste religiosa vita subministrat, quae disciplina animi puritatem attulit; diuinarum Scriptura- rum studio scientiam attribuit; & assiduo labore vires ad perseverandum comparauit.

* * *

A Religiosos non solum aliis prodesse, verum etiam in seipsis aliorum fratrum in- spectione proficere.

CAPVT XIX.



Vt profectibus animarum inseruiunt, & in fratrum salutem incumbunt, illud semper timere debet, ne dum aliis per doctrinae ministerium profunt, sibi ipsis per superbiam officiant. Tam pestilens enim est tinea superbiae, ut praestantissimis operibus virtutis se ingerat, & inde homo soleat intumescere, vnde debuerat humilitate proficere. Quamvis autem omnia virtutis opera hoc possint subire super- biae discrimen, sed illa praecipue huic patent periculo, quibus proximos nostros iuuamus, & in iter sa- lutis adducimus. Quia cum altiora, & illustriora sint, proclivius est Diabolo ex illis occasionem elationis in nobis captare, & in alto positos, maiori casu, & ruina proterere. Ideo Dominus in discipulis suis missis ad praedicandum, huic malo superbiae primum occurrit: Gaudentibus namque illis, quia demones subiicerentur ipsis, Dominus ita respondit; Videbam Satanam quasi fulgur de caelo cadentem: Ecce dedi vobis potestatem calcadi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc, nolite gaudere,

quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in caelis.] Et ab hoc malo superbiae sancta religio abunde nos liberat, exem- pla nobis sanctorum obiciens, quibus semper proficiamus spiritu, & in humilitate, & contemptu nostri crescimus. Hoc autem bonum ingenis illud quidem, ad suscipiendum Dominus per sanctum prophetam sequenti oratione declarat, dicens: Et eras nuda, & confusione plena.] Quae verba aliis iam explicatis subiecta, non minimam dubitationem ingerunt. Si enim anima mundum muliebrem adepta est, quomodo nuda est? si verberibus compassionis, & pilis fortitudinis exornata, quomodo confusione plena? Quam ob causam ei ignominiam & confusionem adscribit, quae iam viuit, quae iam multiplicata est, & grandis effecta, & quae in cubiculo magni regis ingressa, ornamentum puritatis comparauit: An potest simul esse nuda, & vestita? Ignominia cooperta, & sanctitatis honoribus compta, & polita?

Luca 10.
18.

Exech.
16. 7.

Hae verba, quae prima fronte malum praese- ferunt, vnum ex ingentibus bonis status religiosi desi- gnant. Illud autem est, quod diximus, bonum hu- militatis atque modestiae, quod homo verissime ac- quirat, cum inter illos viuit, quos caute viuere, & se meliores & sanctiores esse cognoscit. Quemad- modum enim Israelitae, homines quidem statura pro- ceteri, viribus robusti, & ad bella expeditissimi, assiduis laboribus, & consuetudine praeliandi, seipsos cum habitatoribus terrae promissae conferentes, de- spiciunt, atque contemnunt: Vidimus (inquunt) monstra quaedam filiorum Enac, de genere Gigan- teo, quibus comparati, quasi locustae videbamur.] (Et utinam haec aspersionis sui, non ad pusillanimita- tem, & ignauiam, sed ad spem in Domino collocan- tam contulisset, quia sic euasissent suis hostibus for- tiores.) Sic homo, quamuis omni virtutum genere indutus, & sanctorum operum opibus decoratus, se melioribus comparans, virtutesque suas cum illo- rum virtutibus metiens, vniuersa, quae habet, mi- nota reputat, seque ipsum verissime minorem agno- scit. Quae cognitio propriae vilitatis, cum non timi-

Num. 13.
34.

ditati.

ditati, sed humilitati seruiat; cum non ignauia, sed feruori, & desiderio perfectionis proficiat; magnum est praedictum sanctitatis: & vnde quis se deicit, inde veram gloriam & sublimitatem conquirat. Haec est illa confusio, vt est in Ecclesiastico, adducens gloriam & gratiam, quam magnus Antonius visio Paulo Eremita conceperat, cum, teste Hieronymo; tanta sanctitatis memoria compunctus, discipulis suis dicebat: Vae mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto, & vere vidi Paulum in Paradiso.] An haec confusio, & ignominia non adducet gloriam, & gratiam, quae nos ad currendum in via Dei, ad laborandam, & ad perfectiorum imitationem inuitat?

Contingit homini religionem ingredienti quod nobilissimo comiti curiam regiam introeunti, aut ditissimo Episcopo, Pontificis summi aulam aduentu, euenire solet. Isti enim, qui in sua vrbe erant omnium principes, & sine controuersia, splendore domus, multitudine famulorum, nitore vestium, & dignitatis magnitudine reliquos superabant, a propria vrbe, cui dominabantur, abducti, & in aulam regiam, aut pontificiam ingressi; ita pusilli sunt, & abiecti, vt nullam amplitudinem, nec honoris gradum habere videantur. Nam illum, illusterrimi duces, serenissimi principes, & turba magnatum, istum vero, archiepiscopi, patriarchae, & splendidissimorum Cardinalium ceteros obscurant. Iam qui erecti, & gloriosi inter suos incedebant, inter illos aulicos erubescunt, & inglorij atque obscuro procedunt. Haec autem obscuritas, magna gloria est. Primum quidem quoniam honor est eximius inter illos splendidissimos principes esse aliquid, ab eis comiter suscipi, & beneuolentissime honorari, multo maior, quam si a propriis subditis honorem acciperent. Deinde, quoniam magnifico apparatu illorum principum incitati, se ipsos superant, & elegantiore cultum, lautiores epulas, & famulorum illustriorem magnificentiam ostendant. Ita profusus, qui inter mundanos, & saeculares aliquid esse videbatur, quia peccatis abstinebat, castitatem amabant, eleemosynas erogabant, sacramenta frequentabant, aliquantulum temporis sanctae meditationi concedebat: in Christi aulam, scilicet, in religionem appulsi, & ad religiosorum conuiuium admissi: tam prope nihil sunt, tam parum se in virtute profecisse conspiciunt, vt elementa virtutis, & suae abnegationis principia discere incipiant. Qui ante in saeculo gloriosi incedebant, tamquam suis sodalibus sanctiores; inter religiosos erubescunt, ac si essent omnibus viliores. Credo nulli hic esse (ait Bernardus suos fratres alloquens) qui si quartam partem eorum, quae facit, in saeculo actitaret, non adoraretur. vt sanctus: reputaretur, vt Angelus: nunc autem quotidie tamquam negligens arguitur, & increpatur.]

O quam verum hoc Nam oculi religiose vitae, & lyncei sunt, & operibus pulcherrimis videndis asueti. Ex ea autem parte, qua ab initio institutionis suae opera virtutis sublimia respexit, non miratur tyronum, licet bonorum, opera, quae in saeculo quidem erant rara, & in coenobio sunt quotidianas; in saeculo, si cum iniquorum vita conferantur, erant magna; at in monasterio perfectorum operibus comparata, imperfecta reputantur, & parua. Ex ea vero parte, qua oculos lynceos habet, pusillos defectus, & penes inuisibiles maculas, quae saecularibus erant ignota, deprehendit: Hinc fit, vt qui boni erant in mundo, statim mutantes, & a saeculari vita ad religiosam venientes, quotidie negligentiae, & tepidi-

tatis arguantur, & tamquam ignaui milites increpentur.

De illo sane, qui tam foelix est, vt in religiosorum numerum asciscatur, illud dici potest, quod est apud Iob. Respiciet homines & dicet: Peccati; & vere deliqui, & vt eram dignus, non recepi.] Nam a iumentis putrescentibus in stercore suo, hoc est, a peccatoribus, & iniquis, inter quos vitam agebat, oculos auertens, & homines, eos nempe, qui ratione reguntur, & ex praescripto virtutis gubernantur, considerans, se ipsum, licet bonum, & timoratum, deicit, & defectibus plenum esse non dubitat. Hoc Gregorius magnus in eundem locum, ita confirmat. Sanctorum virorum exempla, conspiciat, atque eorum comparatione se pensans; iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissime intelligere appetit, qualis est, tales nimirum debet conspiciere, qualis non est, vt ex bonorum forma metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe, quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte, quae sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspiciat feditate suam, quam in semetipso, & potest perperit, & sentire non potest. Lucem namque debet conspiciere, qui vult de tenebris iudicare, vt in illa videat, quid de tenebris aestimet, per quas videre praepeditur.] Ad certum ergo religiosum euocans, quasi infans inter sapientissimos viros constitutus, pudore suffunditur, & quasi pannosus pauper inter diuites, & nobiles positus erubescit, aperit oculos mentis suae, & tantam in aliis lucem sanctitatis aspiciens, tunc tenebras suae imperfectiois aduertit, tum qui aliquid se esse putabat, iam vitam suam antea tactam, tamquam dignam castigatione reprehendit. Huius typum gessit vidua illa Sareptana, cuius filius mortuus est, postquam Eliae subministravit confidentiae panem, & pietatis alimentum: Dixit enim ad prophetam. Quid mihi, & tibi, vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meae, & interficeres filium meum?] Ac si diceret (vt Iosephus, Richelius, & Lyranus interpretantur) tanta est, o Elia, sanctitas tua, vt & ego, licet timens Deum coram te posita, tibi quae comparata, oculis Domini valde imperfecta apparuerim, adeo vt propterea (quasi meis peccatis indignatus) & filium meum interfecerit, & me hac acerbissima pena multauerit. Sic profus in religiosa domo recenter admissus, nisi excors sit, & luce interiori priuatus, tantam adolescentulorum puritatem videns, tantam virorum doctissimorum modestiam, & humilitatem aduertens, tantam seniorum conspiciens sanctitatem, seipsum despiciet, & ob peccata praeterita, non diuinis donis, sed poena, & indignatione iudicis, dignum agnoscat.

Hoc autem bonum, ex religiosorum societate, non tantum incipientes, sed etiam veterani, & in religiosa disciplina diu multumque exercitati suscipiant. Multi enim illorum inter sanctiores, & perfectiores vitam degunt, & in illis tamquam in speculis lucidissimis suos defectus, & vitia deprehendunt. Nullam habent occasionem dicendi illud superbi Pharisei: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri.] Sed potius cum humili publicano a longe stantes, & praeter compunctionem, nec oculos ad caelum leuantes, pectusque percutientes, suam prauitatem considerant; errorumque veniam humiliter petunt, dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori.] Alij autem, qui re vera meliores sunt, & tamquam soles splendidissimi inter stellas resurgent, alijque lucem doctrinae suae, & calorem vitae puritate subministrat,

etiam

Eccles. 4. 25.

Hieron. in vita Pauli.

Bern. 4. in Psalm. Qui habitant.

Iob. 33. 27.

Greg. 24. mor. c. 6.

3. Reg. 17. 18.

Iosephus antiquit. 1. Richelius, & Lyran. in 4. reg. 17.

Luc. 18. 11.

Ibid. 13.

etiam habent unde se deiciant, & in conspectu paruulorum contemnunt. Deus enim providentissimus iustorum pater, ita illis dona tribuit, ut non omnia in vno eodemque homine in supremo gradu reponat. Et ipse dedit (inquit Paulus) quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores; ut scilicet propheta in Apostolis gratiam Apostolatus suspiciant; & Apostoli in prophetis donum prophelandi venerentur. Et sic Evangelistae in pastoribus, & isti in Doctoribus aliquid videant, quo illos se maiores, & praestantiores agnoscant. Et inter ipsos Apostolos, qui primitias spiritus acceperunt, & sanctitatis culmen obtinuerunt, ista fuit donorum ac virtutum prouida distributio pro humilitatis gemma conseruanda. Paulus namque (inquit Beatus Gregorius) cum ceterorum sanctorum sollicitudinem in praedicatione robustius laborando transcendere, & ab elatione se premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutrire, crudelitatis suae antiquae non immemor, Apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Et tamen eorundem Apostolorum primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si minus ipse aliquid sciret, in Paulo sapientiam miratur, dicens: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam, scripsit vobis.] Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiam: Ecce Apostolorum princeps miratur in Paulo sapientiam. Quid est hoc, nisi, quod sancti viri dum virtutum consideratione vicissim sibi alios praeferebant, volentia animalia alarum percussione se tangunt, ut eo ad volatum se altius excitent. quo humiliter alter in altero, quod admiretur, videt.] Ex hac ergo Domini distributione prouenit, ut in religione pusilli minusque perfecti in quibusdam donis Dei superent sanctiores: quod isti considerantes, illamque eminentiam callentes, non sicut, sed vere, & ex animo se minoribus submitunt, & ac si essent nudi, & egeni, coram illis se ipsos despiciunt.

Sic anima religiosa, casta Christi sponsa, per vias & plateas quarit quem diligit anima sua. Vici enim sunt perfectiores, plateae vero, quae in maiorem tendunt latitudinem, significant imperfectiores: & dum in vtrisque bona, quae habet, perpendit, in eis Christum quarit, & ab illis accipit incrementa virtutum. Vnde Richardus Victorinus. Volunt boni virtutes suas inuicem accendere, & alter ab altero profectus pariter, & humilitatis incitamenta sumere. Vnde contingit, ut dum iste illius patientiam, & ille istius obedientiam, iste illius charitatem, & ille istius munditiam considerat, semper alter ab altero sumat, vnde in bonum crescat. Multum enim ad studium emendationis accinguntur, quando in aliis cernunt bonum, quod ipsi minus habent, & dum inuicem superiores se arbitrantur, & alter alterius bonum reueretur, & diligit, amando illud, suum facit, & se in humilitate custodit.] Hanc etiam mutuum iustorum excellentiam in rebus a natura dispositis adumbratam, & delineatam aspiciamus. Ut enim in elementis ignis calore vincit aërem, sed ab eo humiditate vincitur: & aër eadem qualitate excellit aquam, sed ab ea frigiditate excellitur: aqua verò terram frigore superans, a terrae siccitate superatur. Utque in aliis rebus, aurum praestat ferro valore, & pretio, sed inferius est fortitudine: & homo vniuersis praestantior animantibus, a multis eorum vincitur diuturnitate: ita in iustis ac sanctis, idem

proflus euenire non dubium est. Iste eminet obedientia, ille mansuetudine, vnus gratia contemplationis ornatur, sed imbecillus est, nec valet corpus vigiliis, ieiuniis, & aliis asperitatibus corpus atterere: alius verò vigiliarum & afflictionum corporalium tenax, dono contemplationis caret: Quidam vberimis lachrymis irrigatur, & diuinis consolationibus recreatur, quosdam haustus caelestes experitur, sed sterilis est, nec animarum lucris accommodatus, alter verò qui velut ignis delicta populorum, efficacia verbi, & dono praedicationis absument, semper aret, nec illas est consolationes expertus: Sic anima sua dona consideratione praeteriens, & fratrum suorum virtutes recogitans, illaque, quibus caret, exoptans, se nudam existimat, & de nuditate & paupertate erubescit. Sed, o felix paupertas, o pretiosus despectus, o illustis contemptus, o ignominia gloriosa: quae animam in modestia continet, quae sanctorum, & Dei amatorum est propria, quae est vera gloria, & maioris sanctitatis exordium. In me ut nuditas, & ignominia ista, vtinam Dominus anima mea dicat. Et eras nuda, & confusione plena.] Nec enim tunc nuda omnino erit, quasi non mundum muliebrem, quo ornetur, comparauerit: sed nuda, quia nondum ad omnem perfectionem sibi concedendam peruenerit, neque confusione afficietur, quasi deformis, sed erubescet, quasi amans, & desiderans Deum suum, & nudam se putans praediderio maiorum bonorum, & quasi aemulans charismata meliora. Haec sunt, o anima mea, alia eximia bona, quae in religioso statu susceperit, desiderabilia profectò super aurum, & lapidè pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum: quod si parua tibi videntur, attende, audi, diligenter considera, & adiciam tibi multo maiora.

Religiosos ad magram Dei familiaritatem.
& amicitiam esse vocatos.

CAPV XX.

Ampliora vitae religiosa bona in sancto propheta respondentiam praestantiora dona nostri status elucet: iam se nobis ostentant eximia diuini amoris insignia, quae, qui in hoc statu positus meditare perspexerit, maioribus beneficiis se à Domino prosequutum esse persentiet. Vnum autem est, quod sanctus Ezechiel, illis sequentibus verbis declarat. Et transiui per te, & vidi te.] Iam Dominus misericordiae oculis animam viderat, dixerat quippe: Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo.] Quid ergo designat iste nouus aspectus, quo iterum anima à Domino transeunte videtur? An sicut ille aspectus misericordiae fuit, ita iste est aspectus iustitiae? Dominus enim nonnumquam videt ad misericordiam, nonnumquam ad iustitiam. Si non aspiceret ad misericordiam, non esset illam viduam consolatus, quae vnici filij mortem desolebat. At cum vidisset, misericordiam motus super eam, dixit illi: Noli flere.] Si non aspiceret ad iustitiam, non cecinisset Moses: Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui, & filia.] Et sanè aspectus Domini miserentis est. De caelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum, de preparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.] Qui finxit sigillatim corda eorum. Aspectus vero punientis: Dominas de caelo

prospexi

Ephes. 4.
11.Greg. 24.
mor. 6. 6.1. Cor. 1.
9.1. Petr. 3.
15.

Cant. 3. 2.

Richard.
cant. 1. 4.Ezech. 16.
7.Ezech. 16.
8.Luc. 7.
13.Deut. 32.
19.
Psal. 32.
13.